

**CURRICULUM VITÆ
 V. P. I.
 MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLIS-
 SIMI CONSULATISSIMIQUE
 DOMINI
 JOHANNIS
 DIETERICI**

Schaffshausen/

**J. U. D. ET INCL. REI-
 PUBL. HAMBURG.**


CONSULIS PRÆSIDIS

MULTIS NOMINIBUS OPT. MERITI,
 MEMORIÆ CONSERVANDÆ ERGO
 EXHIBET,

ATQVE AD FUNUS EJUS D. XVII. NOVEMBRIS
 DECENTI COMITATU DEDUCENDUM

**NOMINE COLLEGII PROFESSORII
 INVITAT**

**GEORGIUS ELIEZER EDZARDUS,
 GR. L. ATQVE HISTOR. PROF. P. ET HOC
 ANNO RECTOR.**



**HAMBURGI,
 TYPIS CONRADI NEUMANNI, SENATUS ATQVE GYMNASII
 TYPOGR. ANNO clc lcc XCVII.**

Sanctos gentis Israeliticæ Majores, Abrahamum Isaacum & Jacobum, viros non prophetico tantum dono claros, sed ad familiaris etiam cum Deo colloquium sæpe admissos, fixam tamen nullibi habuisse sedem, sed vitam omnem peregrinando traduxisse, tentorii pro ædibus fuisse usos, imo nonnunquam sub dio, lapide etiam pro cervicali posito, pernoctasse. Moses auctor est, Sacræ historiæ pater, ex eoque gentium Apostolus repetit, & divino Spiritu actus multis verborum ponderibus commendat. Septuagesimus quidem & quintus Abrahamo agebatur annus, cum supremi Numinis excitatus mandato, patria neglecta, (cui aliquot annis ante, Teracho Lotoque & Sara sociis valedixerat) Harane Syriæ interamnis urbe discederet, illamque peregrinationem ingrederetur, in qua ætatem reliquam exigere fixum mente stabat, eaque animi constantia decretum, a qua vel tantillum dimoveri viro summo per omnem vitam religio non modo erat, sed & piaculum prorsus videbatur. Ut primum autem hanc vitæ sortem probasset communis credentium Pater, omnemque redeundi in Patrium solum (in quod ne filium quidem suum reduci patiebatur) affectum exuisset, adeo stabile sibi domicilium nusquam delegit, ut alias semper sibi ex aliis sedes quæretet, terram Canaan non semel universam emetiretur, quid? in Ægyptum usque famis levandæ ergo concederet, rediit autem eursum, quem semel susceperat, alacriter continuaret, nec ante eum quam cum ipsa vita terminandum judicaret. Testis sacer Codex est, omni prorsus exceptione major, Venerabilis memoriæ virum, ex quo pedem in promissam posteris suis regionem intulit, primam ad quercetum Moré in Sichelmitico agro obtinuisse stationem, hinc inter Ai & Bethel peregrinatum abiisse, mox in australem terræ partem se contulisse, in Ægyptum commigrasse, reveritum ex illa pristinas in meridie interque Ai & Bethel sedes revisisse, peragratæque Cananæa universa tandem prope Hebronem in quercubus Mamre substituisse: totum vero hoc molestum satis & multiplex iter, temporis spatio admodum exiguo, nec elapsio adhuc decennio confecisse memoratur. Quamvis autem inter quercus illustis heroïs sui que confederati Mamre aliquot

quot annorum moram traxerit Patriarcha, tantum tamen
 abest ut peregrinationis fuerit pertæsus, ut iterum se in viam
 dederit, in tractum Meridiem versus spectantem tertium
 remeaverit, cumque in ditione Abimelechi prope Gerarem,
 inque vicina Beerseba aliquamdiu fuisset commoratus, ad
 extremum in Hebroniticum agrum de novo concesserit, ulti-
 mum vitæ suæ ibidem consumiturus, ubi confectum senio
 corpus condi tandem atque ad meliorem vitam asservari
 volebat. Vestigiis optimi Parentis gnaviter institit filius &
 pietate & moribus vere patrillans Isaacus, quem non modo
 vivo Abrahamo per annos pluresulos comitem sociumque
 peregrinationis fuisse constat, sed & ab eo avulsum prorsus
 ad exemplum genitoris summo ad puteum Chai Roi, nunc
 in Gerar vicinaque valle, nunc in Beerseba, cumque se a vi-
 tæ suæ termino propius abesse persentiret, ad Hebronem
 ætatis suæ tempus reliquum trivisse, historia, cui recla-
 mare nefas est, facit testatissimum. Nec Jacobus a Patrio
 instituto vel pedem discessit: quin potius superstitite adhuc
 Isaac, hortatu eorum quorum auctoritatem sancte venera-
 batur, ad vicennium in Mesopotamiam abiit, redeuntem
 Sycoth & haud multo post Sichemiticus ager excepit, in-
 de Bethel & vicina turri Eder regio hospitium tantisper ei
 præbuerunt, donec Patri suo ad Hebronem jam agenti cum
 suis affectibus & carissimis pignoribus iterum jungeretur.
 Quominus autem hic, Isaac haud ita pridem ad cælestia
 translato, constans ipsi domicilium daretur, durum utique
 telum, fames universam non modo Cananæam sed & Ægy-
 ptum premens effecit, virumque accedente imprimis exopta-
 tissimo de Josepho nuncio, divinoque in meditatum iter con-
 sensu, facile permovit, ut seque suamque familiam omnem-
 que supellectilem in Ægyptum transferret, atque ex-
 tremum spiritum ibi ducere constitueret, ubi per integra
 duo secula posteros quoque suos hospites detentum iri di-
 vino oraculo acceperat. Quod si jam in causam inquiremus,
 quæ trigam hanc Patrum sanctimonia clarissimorum indu-
 xerit, ut molestum hoc vitæ genus Patriis laribus relictis non
 modo quam promptissime in se ad nutum divinum suscipe-
 rent, sed & nunquam non sancte & studiosissime seque-
 rentur, suggerit eam Apostolus, verbis quam ponderosis-
 simis monens, ea omnino mente fuisse Patriarchas, ut indu-

bia prorsus fide statuerent, posteris quidem suis terram il-
 lam, in qua fuerant peregrinati, concessum aliquando in pe-
 culum iri ex divina promissione, omnem vero hominum
 vitam meram peregrinationem esse, nullamque in universo
 orbe dari sedem, quæ patriæ nomen stabilisque civitatis ti-
 tulum digne satis tueri queat. Quare nec grave illis vide-
 batur, in tuguriis ætatem degere, nec juxta illa æstimare du-
 bitabant cum vastissimis splendidissimisque Regum atque
 Principum palatiis, quod (docente iterum Apostolo) lo-
 lam cælestem Patriam illam esse, quæ perennantis firmæ
 que urbis nomen mereatur, quæ inconcussis nitatur funda-
 mentis, quæ æternum suos alat cives, haberent persuasi-
 simum. Et merito quidem. Sive enim præsentis ævi mo-
 lestias ad animum rite revoces, habere utique illud cuncta
 illa depræhendes incommoda, quæ secum terre peregrina-
 tio solet, sive vitæ humanæ instabilitatem æqua lance trui-
 nes, fatendum non minus erit, non minoribus illam vicissi-
 tudinibus esse expositam, quam comitari illos solent, qui
 longum ingressi iter sunt, æque autem utriusque vel tandem
 dari terminum, nec magis hic perpetuam sperandam mansio-
 nem esse, quam in diverticulis expectare fas est, quæ fessa
 diurnis succusibus membra qualitercunque de nocte reso-
 cillant. Sunt qui ante decedant quam nascantur; & licet
 aliis in mundi hocce diversorio, brevius aliis longius versari
 contingat, æque tamen omnes singulis momentis ad abitum
 accedunt propius, ipsosque etiam longævos prisci tempo-
 ris Patres vel tandem hospitium hocce deseruisse atque ali-
 orsum emigrasse experientia abunde comprobavit. Neque
 vero eo saltem nomine peregrinationi hæc vita quam est si-
 millima, quod molestiarum sit plenissima, quod turbulentis-
 simis tempestatibus nos exponat, quod latronum non cor-
 poris saltem sed & anima irreparabile damnum machinanti-
 um insidiis creberrimis nos objiciat, quod fluxa gaudia ho-
 spitibus suis citoque transeuntia præbeat; est quod seculis
 omnibus hisce patriæ titulum illi summo jure derogat de-
 trahatque. Privat enim nos clementissimi Parentis aspectu,
 privat triumphantis cœtus consortio, privat majorum
 nostrorum præsentia, privat denique omni illo eoque afflu-
 entissimo bono, cujus cives suos incolasque sola cælestis
 Patria compotes facit participesque. O felices ergo terque qua-

quatenus beatorum illos, qui superatis hujus ævi ærumnis,
 vicis spiritualium hostium incurribus, confecta, quæ nos a
 divinorum animorum concilio separabat peregrinatione,
 in illam quietis & tranquillitatis refertissimam patriam, in
 stabilem illam, nullisque unquam tempestatibus concuti-
 endam civitatem penetrarunt. Superavit, vicit, confecit,
 penetravit is, cui lugubria hæc paramus, Vir Magnificus,
 Nobilissimus, Amplissimus, Consultissimusque, DN.
JOHANNES DIETERICUS Schaffhausen J. U. D.
 celeberrimus, & Incl. Reip. Hamb. CONSUL, PRÆSES
 gravissimus, multisque nominibus optime meritus. Luget
 merito, quidem Amplissimus Senatus, Præsidentia fulgidissi-
 mum, Republica Rectorem prudentissimum, Familia
 splendidissima, maritum conjunctissimum, Patrem beni-
 gnissimum, germanum & cognatum desideratissimum non
 luget modo, sed jure merito effusus quoque, subtractum si-
 bi deflet & dolentius deplorat. Quis enim non moere-
 ret casum Viri tam illustri loco apud nos positi, Magistra-
 tuque per quinque lustra, & quod excurrit, summo autem
 in Republica nostra munere, per annos septem integros
 perfuncti? Viri, in quem animi illæ dotes cumulatissime con-
 fluxerant, quæ non omni modo, sed & ad ardua quæque
 perficienda reddunt instructissimum? Hujus inquam & æra-
 te quidem media oculis nostris subducti, casum quis non
 moereret? At enim modus statuiendus luctui est, animusque
 meditatione ineffabilis felicitatis erigendus, quæ perfrui da-
 tur illis, qui ex hac turba & colluvione inter ferventissima
 suspiria & calidas preces ad beatorum animorum cœtum pla-
 cida morte transferunt. Abest enim ab illis, quos cœlestis
 Hierusalem excepit, omnis tristitiæ causa, abest omnis moe-
 ror, grata hic datur omnium quæ vitam hanc turbaverant
 Catastrophe, lugendique ad eam non sua causa sunt, qui oculis
 nostris subducti ad beatas transferuntur sedes, sed Eccle-
 siæ, sed Republicæ, sed suorum causa, omniumque quibus
 per officiorum partes beneficia ulterius præstare potuissent.
 Quare lugemus quidem ereptum nobis CONSULEM,
 sed pie lugemus, quam maxime autem quod nostrarum
 partium est, discedentem e mundi hujus hospicio prosequi
 quantum in nobis est annitimur, & vitæ ejus curriculum
 quasi brevem peractæ peregrinationis narrationem confi-
 gnando, memoriæ ipsius ut inter posteros quoque quale-
 cunque monumentum exstet allaboramus. Ingressus igitur
 in hanc vitam, simulque peregrinationem exorsus est anno
 hujus

hujus seculi post quadragesimum tertio die Martii sexta &
 vigesima, quæ Palmæ erat, gloriosissimi Salvatoris nostri
 in terrenam Hierusalem ad subeundam suarum pro gene-
 re humano passionum complementum solenni ingressu
 cra; quartam inter & quintam matutini temporis horam hac
 ipsa in civitate, in qua & peregrinationem absolvit, in lucem
 editus. Natus autem est summo genere, & lis quidem paren-
 tibus, quibus ad rectam educationem nec voluntas deerat
 nec consilium. Pater enim ipsi fuit Vir Magnif. atq; Excel-
 lentissimus Dn. NICOLAUS Schaffhausen, J. U. D. & Se-
 renissimo Duci Saxo-Lauenburgico Dn. JULIO HENRI-
 CO a consiliis intimis, a quo & Cancellarii honores obti-
 nuit; urbiq; Lauenburgo Præses datus fuit longe gravissi-
 mus. Matrem habuit ELISABETAM antiqua Werke-
 niorum stirpe oriundam; quæ jam olim Consulem urbi no-
 stræ dederat Magnificum Dnum HERMANNUM WET-
 KEN, Virum uti omnibus illis quæ Consulem decent virtu-
 tibus illustrem, ita vel maxime eo nomine feræ posteritatis
 laudibus evehendum; quod eo quo in conservanda purio-
 ri fide flagrabat ardore stimulatus, τῶν παρεισάκτων ψευδῶν δόξων,
 quorum partes utam clanculum Joachimus Wenne-
 rus Pastor Petrinus agebat; machinas mascule sufflami-
 nando, maximum ab Ecclesia nostra periculum averterit.
 Noverant optime Amplissimi hi. Parentes, non æque omnes sub vitæ terminum in ce-
 lestem patriam admitti, qui in vitæ hujus diversorio hospites exstiterant, sed eos de-
 mum, quorum ante in cælis exstisset πολιτεία; noverant probe, solius cæli terri-
 quæ Imperatoris esse, civitate in regia hac metropoli donare; noverant Sacrum regē-
 nerationis fontem unicum illud esse medium, per quod cæli hæredes scribantur, ci-
 vēsque renunciatur. Itaque primum hoc sibi dari negotium quam rectissime etiam
 statuerunt, ut natus recens filiulus ipso statim qui nativitatem excipiebat die in æde S.
 Petri a peccatorum ablueretur sordibus, curaruntque ut JOHANNIS DIETERICI no-
 men tessera accepti in superna Hierusalem juris eidem adderetur. Cæpta nunc rite hujus
 vitæ peregrinatio erat; quæ ut caute etiam prudenterque & cum fructu condnuare-
 tur, in ipsa adhuc ætate tenera præceptoribus commissus puer fuit, qui literarum rerum
 menta mature instillarent; ne hospes in terrena hacce vita in literis, quoque hospes per-
 maneret. Datus posthæc in Scholam Publicam fuit, in qua paucorum annorum
 spatio ita profecit, ut jam tum apparet, ire illum iturumque porro per majorum suo-
 rum vestigia, & adultiorem decori illorum haudquaquam esse defuturum. Cum
 vero non in limine Philosophiæ subsistere, sed ad ejus penetralia grassari constitisset,
 ad Gymnasium quoque Anno 1660, transit, celeberrimisque ejus temporis Professori-
 bus, Gutbirio, Kirstenio, Mullero, Capello per biennium auditorem se stitit assidu-
 um solertissimumque. Tandem finito quod in Gymnasio Patrio ad scientiam rerum
 Philosophicarum laudabiliter traduxerat biennio, exteros Anno 1663, adit, utique
 ante omnia telam quam bene cœperat studiorum porro feliciter pertexeret, in Aca-
 demiam Juliam se contulit, hæsitque ibi, per triennium solidum, usque ad penitiosam Ju-
 risprudentiæ (cui se mancipare constituerat) cognitionem virorum in hoc studiorum ge-
 nere exercitissimorum fida manu ductione; Ut tamen ex aliis quoque hortulis collige-
 ret, quod in rem suam converteret, Germania peragrata Basileam se A. 1666. transtulit,
 Jurisque cui per quadriennium incuberat studium ad umbilicum perduxit, decreto-
 ria

na disputatione lauream se in studiorum palæstra promeruisse probans. Ornatus il-
 la est Anno 1667. ab Academiæ hujus proceribus, Juris Utriusque Doctor publice
 solennique ritu renunciatus, omnibusque illis privilegiis auctus, quæ honores hoscæri-
 tumque comitari solent. Cæterum hucusque vilis sibi NOSTER fuerat domi
 vixisse, Germaniæ licet insigniores urbes quasdam jam adisset, restabatque adeo, ut
 ingens etiam quo æstuabat peregrinandi desiderium, antequam ad suos remearet, ali-
 quantumque restingueret. Ingressus prolixiorum peregrinationem (quam vitæ hu-
 jus imaginem supra diximus) eodem adhuc anno est, Galliamque, Italiam, Germa-
 niam reliquam & Belgium invisit, non tabellanorum more eas percurrens, sed justo
 biennio studiose perlustrans, linguarum etiam exoticarum, notitia (quam parum
 jam antea sibi comparaverat) in habitum conversa, ut fructus aliquando ex ipso pa-
 tria caperet uberiores. Quin & Spira Nemetum (quæ nunc quidem pro dolo in
 ruinis jacet, ac illatam bello calamitatem sola melioris conditionis spe solatur, illa
 vero, ætate tum rebus omnibus tum imprimis S. ROMANI IMPERII SENATU,
 cui domicilium præbuit, florebat) aliquandiu sustinuit, urque usu & experientia
 comparatum sibi scientiæ præsidium uberius confirmaret, in Illustrum Excellentis-
 simorumque virorum, quibus juris dicendi tractandique cura commissa erat, exem-
 pla veluti in speculum attente fuit intutus. Sic varia eruditione insignique rerum
 perita armatus tandem in Patriam solum rediit, sed ita rediit, ut in ipsa tamen Pa-
 tria peregrinationem, quam cum ipsius vitæ suæ primordiis cœperat, continuare non
 desisteret, & e varis licet prolixioris itineris emeris periculis, illas tamen quæ vi-
 tam hanc crebro comitantur molestias superatas a se nondum esse intelligeret. Eas
 cum averti omnino & prorsus evitari non posse agnosceret, probe autem sciret,
 itineris incommoda fidi comitis præsentia non parum edulcari, vitæ torique indi-
 vullam sociam sibi adscivit & iustis solennibus d. 16. Februar. Anno 1674, junxit
 Nobilissimam Virginem AGATHAM, ex antiqua gente Beckmanniorum proge-
 nitam, mariti sui obitum acerbissime nunc ferentem. Convixit enim cum illa sua-
 visime, & sedecim ex ea liberos suscepit, quorum tamen e numero gemina nunc
 saltem masculina quaterna autem foemina proles cæteris omnibus præmatura
 morte abreptis superat. Sed & ter avus factus est, nepotemque unum neptes au-
 tem duas e filia natu maxima ANNA CATHARINA Viro Nobilis, & Consult.
 Dno HENNINGIO LOCHAU J. U. Lic. ante aliquot annos nuptum colloca-
 ta vidit, licet & hic ternarius liberorum numerus bellissimi nepotuli obitu ad bi-
 narium fuerit contractus. Dignum vero vel maxime etiam se Inclyto Patre præstat
 filius natu major Dn. NICOLAUS LUCAS Schaffshausen/qui non minus animi
 quam corporis decore valet, & hucusque tam in Patria Athenæo quam in Academia
 Julia literis indefesso studio incubuit, gloriamque gentis suæ a majoribus partam
 non conservare modo sed & augere omni opera annititur. Sed ad CONSULEM
 nostrum revertamur. Ut primum is a Germaniæ Amphictyonibus domum redje-
 rat, omnium minime (privatam licet adhuc vitam ageret) ingenio suo ut lateret
 convenire judicavit, quin potius jam tum statim prodelle aliis cupiens, causis agen-
 dis tuendisque operam dedit, inq; foro versans nulli suum patrocinium, quod fre-
 quentes expetebant, unquam denegavit. Apparebat autem ex illis quæ pro clientum
 suorum commodis publice privatimque agebat, esse in SCHAFFSHAUSIO nostro
 non doctrinam modo & scientiam multiplicem, sed & ingenium eminens, raram ju-
 dicii acrimoniam; vividam generosæ indolis sagacitatem, memoriam excellentem, in-
 natam facundiam, animi præsentiam & promptitudinem singularem admodum, quic-
 quid denique Virum ad res strenue agendas præstare solet expeditissimum. Quare
 cum talem omnino se exhiberet, quin vitæ hujus peregrinatione aliis cum fructu ho-
 degus præferretur, dignus utique vilis fuit civitatis nostræ Proceribus, qui in partem
 publicorum laborum a se vocaretur, inque Senatorium ordinem allectus publicæ sa-
 luti una secum provideret. Factum id Anno 1677, quo ipso non tantum Senatoris
 minus ei magno cum Civium applausu fuit collatum, sed & paulo post Præfecti
 Rützebuttelensis vicēs fuerunt demandatæ. Inde vero officia cum exceperunt ex aliis
 alia.

alia. Præturam enim Anno 1682. suscepit, gessitque ferme per triennium, & ita ges-
 -sit, ut in causis etiam difficilissimis decidendis illibusque quibuscunque dirimendis nun-
 -quam non expeditissimum seles & exercitissimum probaverit. Scholarcha factus
 Anno 1688. est, quo officio licet per biennium tantum fuerit functus, consularibus
 -fascibus eum ad graviora advocantibus, tamen quod studia nostra de ejus favore sibi
 -gratulentur, curasque quas sua causa subit frequentissimas grato semper animo agno-
 -scent atque venerentur. Haud tacendum, quoque non semel tantum sed iterum iter-
 -umque eundem Amplissimi Senatus decetero legationes salutis publicæ causa in se-
 -suscepisse & obivisse feliciter. Nam & ad pacis, quæ Neomagi post acre bellum ante
 -hoc sæc. undeviginti annos incipiit, tractatus Anno 1678. fuit ablegatus, ibidemque
 -per sesquiannum quæ erant Patriæ erant lumina cura curavit, & Anno 1685. in au-
 -dam Augustissimi IMP. LEOPOLDI missus, causam Reip. per biennium egit: domum
 -autem rediit subinde legati partes sibi ad Potentissimum Danicæ Regem, nunc ad Se-
 -renissimos Duces Luneburgicos sustinuit. Ac quamvis gravissima semper ipsi com-
 -mitterentur negotia, nunquam tamen rediit, quin ea quæ concessita erant ex voto
 -effice exsequutus, & iterum bene gestarum laudem reportaret. Tandem etiam summum
 -in Patria Consulatus fastigiū d. 22. Julii Anno 1690. adeptus est, quatenusque vicibus
 -intra septem hosce annos Præsidis apicem alternatim tenuit, tanto pluribus negotiis
 -queque per singula momenta circumvallatus, quanto sublimiori erat sede constitutus
 -secoq; Norunt vel me tacente omnes, CONSULEM nostrum ita prorsus fuisse ad
 -*ἡσυχίαν & ἀκράτῃαν*, ut parum judicaverit labores non recusasse, ulro eos po-
 --posserit, imo horas omnes ipsi gravissimis negotiis fuisse distinctas, ac solam ferme la-
 --borum mutationem pro quiete fuisse. Fugit neminem, omnium facilimos fuisse ad ipsum
 -aditus, adres ejus omnibus citra fastidium patuisse, neque tamen, (quod quidem
 -summis quoque viris sepe ulu venire solet) inter tot concatenatos labores difficiliorem
 -reddidit fuisse unquam aut morosorem, nec quæquam de pristina humanitate remi-
 --sisse. Quanta autem prudentia suo functus officio fuerit vel inde datur dijudicatur,
 -quod inconsiderate quidem nihil egerit, si qua autem tempestas imminere videretur,
 -animum nec contraxerit nec demiserit, sed ea in promptu habuerit remedia, quibus ob-
 --viam malo iret, matureque illud præverteret. Talem se nosser præbuit CONSULEM,
 -cujus laudes singulas meritaque hoc loco ut prolixius commemoremus nec opus esse
 -arbitramur, cum tot civitati sint cognita, nec chartæ angustia nostrumve institutum
 -permittunt, Sarcinas ante hosce duodecim dies colligere, atque e vitæ hujus hospitio
 -in cœlestem Patriam transitum parare cepit, cum bis ante hebdomadibus, quasi
 -jam tunc ut extremis suis consuleret monitus, Sanctissimo epulo Corporis & Sanguinis
 -Dominici, quod *εὐόδιον τῆς ζωῆς* patres dixere, in publica Sanctorum Synaxi sese in-
 -struxisset. Morbus enim eum d. 5. Novemb. adortus gravissimus est & lethifer, animi
 -omniumque virium subita prostratio, quam & asthmaticus affectus haud multo post
 -excepit, & symptomata alia, quæ novissimum morbum per sepe comitari & mortis la-
 --tellites esse solent. Neq; tamen repente avulsus vitæ fuit, sed minutatim in mortem pro-
 --cessit, dulcissimis gratiæ per fidem justificationis, quæ cor Christianismi & una omni-
 -bus ad salutem via est, se subinde suffulciens. Sic translatus tandem ad gratam requiem fuit,
 -inque æternam duraturam patriam penetravit d. 10. Nov. post octavam horam vesperti-
 -nam placido inter preces suorum & quam maxime Ejus cui animæ suæ curam commiserat
 -obitu solutus, cum sub ipsum ferme extremum halitum suam in Salvatore suo fiduciam
 -integramente claraque voce iterum esset professus, vitæque cursum per annos quinquag-
 --inta quatuor, menses septem & dies quindecim e summi Imperatoris arbitrio confecit.
 -Quod superest, dum exanimatum corpus, quod discedens reliquit, solennibus exle-
 --quii in conditorium quod in æde D. Catharinæ est d. XVII. Nov. inferetur, Omnes Omnium
 -Ordinum Viros plurimum honorandos, ut frequenti in funeris deductione præsentia
 -suum in B. CONSULEM affectum testari velint, officiosissime rogamus. Quamvis
 -quid rogemus? Enimvero Viro supremo in Republica nostra officio per tot annos per-
 -functo, supremisque honoribus quondam conspicuo, nemo non supremum officium
 -supremosque honores nec rogatus quam promissime exsolvet. P. P. Hamb. d. 17. Nov.
 -Anno Christi M. DC. XCVII.